



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

**Theses Theologicae Adversus Anti-Theses Oppositas
Nuperis Thesibus nostris Theologicis, Id Est, Articulis
Theologorum Lovaniensium Exhibitis Illustrissimo ac
Reverendissimo Domino Archiepiscopo ...**

Huygens, Gommarus

Lovanii, [1685?]

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10960813-4



Th. 2170.

D. IV

3.

PHILOSOPHIAE MORALIS
APPENDIX
PROPOSITIONES

THESES
THEOLOGICÆ
ADVERSUS
ANTI-THESES
OPPOSITAS

Nuperis Thesibus nostris Theologicis,

ID EST,

ARTICULIS THEOLOGORUM LOVANIENSIIUM

Exhibitis Illustrissimo ac Reverendissimo Domino
Archiepiscopo Mechliniensi.

QUAS

PRÆSIDERE

EXIMIO VIRO DOMINO AC MAGISTRO NOSTRO

GUMMARO HUYGENS LYRANO,

DEFENDET

FRANCISCUS JACOBUS VIVIEN Bruxellensis.

In Collegio ADRIANI VI. Pontificis die 20. Augusti 1685.



LOVANIIS

Typis GUILIELMI STRYCKWANT sub aurea Lampade.

THEOLOGICAE

ANNALES

MUSEI

UNIVERSITATIS

PADERBORNENSIS

MDCCCXXXIII

P R Æ F A T I O
A D
L E C T O R E M:

Superiori mense exhibuimus *Theses Theologicas*, quarum hic est titulus: *Theses Theologicæ*, id est, *Articuli Theologorum Lovanienſium exhibiti Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Domino Archiepiſcopo Mechlinienſi cauſâ Concordiæ ineundæ cum RR. PP. Societatis JESU & aliu.*

Continent illa Præſationem ad Lectorem, in qua enarratur, quâ occasione, quo fine, quâ formâ, quo demum ſucceſſu coram Illuſtriſſimo Domino Archiepiſcopo noſtro Mechlinienſi inter PP. Societatis, & Theologos Lovaniensēs illic nominatos, initus ſit contractus collationis habenda ſuper dogmatibus, tum iſtorum Patrum, tum Lovanienſium; illis puta dogmatibus, quæ à parte alterâ præ cæteris impugnantur.

In nuperis Theſibus expreſſimus magno candore iſtos noſtra doctrina Articulos, quos Patribus Societatis, ac aliis quibusdam magis diſplicere exiſtimavimus.

Adverſus iſtas Theſes noſtras, paulo poſt à PP. Societatis edita ſunt Anti-theſes ad Theſes Theologicas ſeu Articulos exhibitos Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo D. Archiepiſcopo Mechlinienſi cauſâ prætenſæ Concordiæ, ineundæ cum PP. Societatis JESU & aliis.

Porrò in hiſce Anti-theſibus R. P. LIBERTUS DE PAPE Rector Collegii Societatis JESU Bruxellis, qui cum Doctore HUYGENS contractum collationis habenda inierat, reſtatutur hiſ verbis: Aſſenſi in illum Conferentiæ modum quem Præſatio dicta memorat (intelligit Præſationem Theſibus noſtris ſuperiori mense deſenſis præſixam) & addit niſi quod à veritate alienum eſt, quod illic adſtruitur, de Conditionibus Conferentiæ nihil iſtic tactum fuiſſe.

Contractus, cujus in dicta noſtra Præſatione & hic iterum ſit mentio, ita ſonat: Pars utraque ſcripto tradet Illuſtriſſimo Domino Archiepiſcopo illas ſuas ſententias, quæ à parte altera novit impugnari: quæ deinde per Illuſtriſſimum Dominum alteri parti communicabuntur, eo fine ut hæc contra replicet: poſtmodum pars utraque in deſenſionem ſuarum ſententiarum duplicet; & poſtea, ſi opus, procedatur ad Quadruplicam, & denique ad Collationem verbalem. Quibus omnibus peractis, ſi ad Concordiam nondum fuerit ventum, miſſis actis ad S. Sedem ultima illinc deſiſio expectanda erit. Additum fuit, utrique parti licitum fore interrogare alteram de Articulis non expreſſis, num eos teneat: ſiquæ pars interrogata Articulos petitos à ſe teneri reſponderit, ei incumbet eorſdem cum aliis ſcripto traditis ſuſtinere ac deſendere.

dere. Si vero responderit, illos à se non teneri, nulla ei super istis Articulis moveri poterit quæstio aut molestia.

Admittit ergò R. P. DE P A P E, quod contractus istà formà fuerit coram Illustrissimo reverà initus: quare super hac re nulla manet contendendi causa: secus de conditionibus, de quibus se locutum asserit his verbis: Condiciones quædam postulari possent à partibus.

Istam igitur dicti Patris assertionem primà harum Thesium Conclusionem duos per paragraphos evertemus.

In secundà Conclusionem inferemus ex primà quadam corollaria.

Tertià ostendemus, quod Anti-thesium Authar nullo jure indicet Illustrissimum Dominum Archiepiscopum voluisse in sæpius dicta collatione agere judicem; quodq; nullo jure, præteritis Articulis nostris Illustrissimo exhibitis, & per nos signatis, novos neque exhibitos neque signatos, veluti à Doctoribus HUYGENS & VAN VIANE traditos, producat, ut eos oppugnet.

Ex quartà Conclusionem patebit, quantà aequitate nitatur contractus hinc iterum expressus; modo tamen absit omnis conditio, per quam ejus executio foret impedienda.

Per quintam Conclusionem invitantur RR. PP. & alii à nobis dissidentes, ut contractum illum, prout jacet, adimpleant; cum ille sit talis, ut etiamsi initus non fuisset, iniri equidem, ut putamus, deberet à quibusvis Theologis concordiam & pacem sincerè amantibus.

Sextà denique Conclusionem ostendetur, quod dicti PP. non possint se excusare, quominus toti Theologorum orbi notas faciant suas sententias (si contra conventionem detrectent exhibere Archiepiscopo) sicut Lovanienses non fuerunt veriti publicare suas.



CONCLUSIO PRIMA.

Evertitur assertio R. P. DE P A P E de conditionibus adjiciendis modo conferentiæ sive contractui de conferentia habenda inter PP. & Theologos Lovanicenses.

§. I.

Ex dictis Illustrissimi Domini Archiepiscopi & actis in secunda Collatione convincitur, quod assertio R. Patris DE P A P E non subsistat.



Contractus, quem in harum Thesium præfatione ad verbum (sicut in præfatione Thesium anteriorum) exprimimus iterum, juxta adhortationem Illustrissimi D. Archiepiscopi Mechliniensis initus fuit die 27. Feb. hujus anni inter R. Patrem DE P A P E Collegii Bruxellensis Rectorem & Doctorem HUYGENS solo Illustrissimo D. Archiepiscopo nostro præsentem: idque, ut affirmat Doctor HUYGENS, *absolutè & sine ullis conditionibus*, vi quarum liceret Patribus antè traditionem suorum Articulorum exigere aliqua veluti præliminaria: negat R. P. DE P A P E, prætendens, uti credo, me errore aliquo facti prolapsum esse: ego ex adverso non me, sed ipsum errasse dico.

Quare constanter nego, quod, ut prætendit R. P. DE P A P E, post contractum initum fuerint sive ab Illustrissimo Domino Archiepiscopo, sive à me admittæ ullæ tales conditiones; clare istud, nî fallor, patebit ex subsequenti Historia.

Præter collationem, de qua superius locuti sumus, habita est alia 16. Aprilis hujus anni inter RR. PP. DE P A P E & LE D E N T ex una, & Doctores HUYGENS & PASMANS ex altera parte, rursus coram Illustrissimo Domino Archiepiscopo, qui Patribus istis volentibus ante traditionem suorum Articulorum scripto responderi ad quædam præliminaria, in hac secunda collatione dixit ac sæpius repetiit: *sine conditione, simpliciter, & ne verbo quidem facto de præliminariis initum esse contractum*, vi cujus deberet pars utraque tradere alteri Articulos suæ doctrinæ: ad quæ subinde responsum à Patribus: *ita quidem, sed pro meliori & certiori successu judicavimus consultum ut præliminaria præmitterentur*. Subinde R. P. L E D E N T negabat contractum fuisse initum addens: *Pater Rector non potuit contrahere sine commissione*. Doctor H U Y G E N S similiter urgebat, quod fuisset *pactum, data fides, &c. sine ulla conditione*: Patres econtrà quærebant varia effugia, nihil hæcenus loquentes de conditionibus, ut jam prætenditur, admittis; etsi Illustrissimus Archiepiscopus, & Doctor H U Y G E N S toties Patribus objecerint, quod contractus sit *initus absolutè, simpliciter, sine ulla conditione*.

Post hæc Doctores Lovanienfes ad singula præliminaria responderunt viva voce: quibus omnibus peractis, delapsus iterum est sermo ad *pactum* initum *sine conditione ulla*. Et tandem post hæc omnia objecit P. DE P A P E quod D. H U Y G E N S probè nosset, aliquas admittas esse conditiones. Respondit Doctor H U Y G E N S: hæc scilicet, nec alias esse à se admittas. *Primo quod ubi partes mutuo tradidissent suas doctrinas, possit utraque contra alterius doctrinam replicare, duplicare, usque ad Quadruplicam. Secundo, si pars altera putaret à parte adversâ quidpiam doceri, quod in scripto non comprehenderetur, & tamen pars comprehendendum judicaret, posset pars à parte petere; num id teneret, quodque semel admisset, tamquam suum haberet, & utrimque id candidè exprimeretur; & denique tertio, si pars parti non satisfecisset omnia ad Urbem mitterentur.*

Hæc ex Adversariis nostris descripsimus, quæ ne memoria falleret, Doctores H U Y G E N S

GENS & PASMANS, dum recentem omnium memoriam habebant, simul conscripserunt, & non multo post tempore, coram Illustrissimo Domino Archiepiscopo relecta sunt priusquam Anti-theses essent editæ. Hinc videre licet sequentia.

Primò, quod Illustrissimus Dominus Archiepiscopus non semel, sed sæpius asseruerit, contractum coram se esse in initum *absolutè, sine ejusmodi conditione.*

Secundò, quod idem asseruerit Doctor HUYGENS.

Tertiò, quod Patres primò quæsierint varia effugia, ut Illustrissimo Domino, & Doctori HUYGENS ista constanter asseruantibus, aliquo saltem colore responderent, non faciendo hæctenus mentionem *conditionum.*

Quartò quod R. P. DE PAPE tunc demùm fecerit mentionem *conditionum*, quando anteriora sua effugia vidit esse irrita; debuisset autem mox in initio hujus secundæ collationis de *conditionibus* istis loqui, si quales vult, fuissent admittam.

Quintò, quod sermo de *conditionibus* istis valde obiter sit injectus, & per responsa mea mox suffocatus, ita ut crederem ipsum P. DE PAPE admittere, quod de *conditionibus* vel non fuerit facta mentio, vel fuerint intellectæ *conditiones*, quales ipsi explicui.

§. 2.

Ex ipso collationis contractu (conferentia modum vocat P. DE PAPE) convincitur quod in initum non sit, eâ conditione, quam dictus Pater intelligit.

Collationis contractum, quem P. DE PAPE conferentiæ modum vocat, in anteriorum Thesium Præfatione, & iterum in Præfatione harum expressimus his verbis: *Pars utraque Illustrissimo Domino &c.*

In illum conferentiæ modum se consensisse fatetur P. DE PAPE: jam verò non unam contradictionem implicat, quod subsistat ejusmodi contractus; quem nobiscum iste Pater admittit, si reverà detur libertas ad conditiones præliminares, qualem solus ille Pater contra-assertionem Illust. D. Archiepiscopi toties repetitam & meam, dicit fuisse admittam.

Prima contradictio in hoc consistit, quod juxta contractum in initum, oportuerit collationem incipere à traditione, qua *pars utraque Illustrissimo Domino Archiepiscopo traderet suas sententias.* Negare hoc non potest R. P. DE PAPE, tum quod omnes circumstantiæ, ipsi notissimæ in istam veritatem conspiraverint, tum quod conferentiæ modus in anteriorum Thesium Præfatione expressus, in quem se consensisse fatetur, hoc manifestè significet. Primò namque locò contrahentes se obligant, *ut pars utraque scripto tradat Illustrissimo Domino illas suas sententias &c.* Cui veluti fundamento reliqua, quæ in collatione agenda forent, superstruerentur: Nemo, si attentè consideraverit contractum, hæc negare potest: minus potest R. P. DE PAPE, qui in suo testimonio *Anti-thesibus* inserto palam fatetur se assensisse in illum conferentiæ modum, quem præfatio nostra memorat; hæc verò non solum ipsâ contractus expressione; sed etiam verbis clarissimis dicit coram Illustrissimo Domino Archiepiscopo compromissum esse, ut ante omnia pars utraque exhiberet suas sententias. Perro si incipiendum fuerit à traditione, quâ pars utraque exhiberet suas sententias, manifestum est implicare contradictionem, quod data fuerit potestas, ut postquam pars una tradidisset suas sententias, altera non traderet suas, sed loco quæstiones quasdam præliminares obtruderet.

Secunda contradictio hæc est: in initum est supradictus collationis ineunda contractus; vi cujus, quod cuilibet legenti patet, pars utraque alteri se obligat, ut suas sententias scripto tradat Illust. Domino Archiepiscopo: jam verò impossibile est, ut illam obligationem contraxerint PP. Jesuitæ, si post contractum manserit ipsis libertas ponendi conditiones pro libitu; adeoque etiam tales vi quarum nunquam eo veniretur, ut reipsâ traderent suas sententias.

Tertiana

Tertiam contradictionem videbis : si in re tanti momenti ut indè pendeat Theologorum pax & unitas ; supponas quod Rector Collegii Bruxellensis , & HUYGENS Theologiae Doctor , à suis respectivè ad hæc Deputati , coram suo Archiepiscopo Belgii Primatè , non inierint conventionem aliquam puerilem , ridiculam , & explosione dignam (neque enim talem admisisset saltem Illustrissimus Dominus) nam contradictionem implicat , conventionem illam esse aliam quam puerilem , ridiculam , & explosione dignam ; si verum sit PP. Societatis relictam esse potestatem quando , quomodo & quales volunt condiciones apponendi , adeoque omnia evertendi.

Hinc factum credimus , ut contractus nusquam in Anti-thesibus totus sit expressus : sufficisset enim vel sola contractus expressio , ut quilibet , etiam parti illi addictissimus facile fuisset suspicatus , quod cum tali contractu componi non potuerit potestas ad condiciones totius contractus eversivas.

§. 3.

Vnde fieri potuerit , ut R. P. DE PAPE hæc in re erraverit.

Istud quod R. P. DE PAPE de conditionibus dixit , à veritate alienum esse , nullus dubito ; nec video quomodo dubitare possit , qui dicta anteriorum §§. ritè expendit : sed non perinde certum est , quænam Patri DE PAPE fuerit erroris causa : si tamen conjecturis locum demus , hæc fuisse videtur. Die 27. Februarii , quæ fuit primæ collationis , conveni Illustrissimum Dominum Archiepiscopum , præsentè tunc R. Patre DE PAPE , qui me prævenerat ; eumque post Illustrissimum salutavi : deindè post mutua benevolentia signa , injecta est mentio *conditionum* , sub quibus desiderata collatio institueretur. Suggerebat dictus Pater , ut ego illorum sententias scripto traderem ; ipse verò exprimeret nostras : ad hæc ego : rem illam cavillationibus fore obnoxiam , dum pars utraque causari posset suas sententias non esse ritè expressas , aut quid simile ; & ideo mihi videri opportunius , ut pars utraque suas ipsa sententias exprimeret , traderetque : assensit mihi Illustrissimus Dominus Archiepiscopus ; mox etiam R. Pater , sive rei æquitate , sive suffragiorum pluralitate victus : atque ita stabilitum fuit primum collationis habendæ fundamentum ; à quo antè omnia incipiendum foret.

Demus quod post hæc , adhuc facta fuerit mentio *conditionum* , priusquam nimirum perveniretur ad alia quæ in contractu exprimuntur , constanter assero , ne in mentem quidem venisse de aliis conditionibus , quam de hisce : primo quod ubi partes mutuo tradidissent suas doctrinas , posset utraque contra alterius doctrinam replicare &c. prout in ipso contractu expressæ sunt ; alias esse admissas , prorsus nego.

Potuit itaque error R. Patris fuisse situs in eo , quod ea quæ de *conditionibus* ante contractus initium diximus , putaverit esse dicta post contractum ; vel illa quæ ita post initium contractus diximus , ut tamen ante reliqua quæ in contractu sequuntur , fortassis sibi persuaserit esse dicta post contractum totaliter completum , quod nullatenus subsistere per duos §§. anteriores probavimus.

Nec refert quod R. Pater dicat in Adversariis suis haberi , potestatem condiciones postulandi esse admissam post contractum , hoc enim in collatione secunda negavi ego : negationem eandem continent dicta & toties repetita Illustrissimi Domini Archiepiscopi §. 1. hujus Conclusionis citata : negat in effectu , ut aiunt , prima pars contractus : negat contractus essentia : negant denique ipsius contractus circumstantia.

Quod attinet ad Adversaria dicti Patris , errant illa , etiam in aliis : quandoquidem , ut de conditionibus amplius non loquar , in iis referatur responsam dicti Patris datum , ut vult , Doctoribus HUYGENS & HENNEBEL , dum hi nuntiarunt se Illustrissimo

strissimo Domino Archiepiscopo obtulisse doctrinæ suæ Articulos : nihil enim R. Pater, nihil omnino tunc istis Doctoribus respondit ; ita ut summè mirarentur , quod prior pro conferentia ardor subito mutatus jam esset in tantum frigus ; ut ne unum quidem verbum, quod rem illam spectaret , responderit , nos nuntiabamus. Quod sententias nostras tradidissimus Archiepiscopo ; ipse illico petiit ; num Bibliothecam Collegii nostri unquam vidistis ? Ubi respondimus , nos eam numquam vidisse , mox itur ad Bibliothecam ; multa nobis summâ humanitate interea narrabat R. Pater ; cum altissimo tamen silentio circa ea omnia, quæ collationis negotium, ob quod solum illuc veneramus, concernebant : denique , qua nos exceperat comitate , tandem dimisit , ne tunc quidem vel verbo respondendo ad ea quæ in accessu de collatione nostra relatum veneramus.

Sanè cum in re tam manifesta certò fallant Adversaria R. Patris , quid mirum , si etiam in illis , quæ de conditionibus illic scripta dicuntur, erraverint.

CONCLUSIO SECUNDA.

Ex anteriori Conclusionè inferuntur quædam Corollarja.

I.

Inferitur, quod primæ parti contractus, à qua collatio incipienda erat, abundè satisfecerint Lovanienses ; siquidem doctrinæ suæ Articulos, quos præ cæteris à parte alterâ impugnari noverant , exhibuerunt , non tantùm Illustrissimo Domino Archiepiscopo ; verùm etiam Suæ Excellentiæ MARCHIONI DE GRANA piæ memoriæ , deinde etiam Illustrissimo D. PRONUNTIO APOSTOLICO, & demùm toti Theologorum orbi.

II.

Eisdem priori scilicet contractûs parti ac obligationi indè sibi injectæ , non satisfecerunt PP. Societatis , nec satisfacient deinceps , quamdiu detrectabunt suas vicissim sententias Illustrissimo Domino Archiepiscopo tradere.

III.

Dicti Patres obligationem porrigendi suas sententias nullatenus adimplent , vel deinceps adimplebunt exhibendo quascumque quæstiones præliminares ; cum utrimque conventum sit , non de quæstionibus præliminaribus ; sed de sententiis suis exhibendis.

IV.

Quamdiu Patres Societatis non adimplent primam illam partem contractus , de tradendis scilicet suis respectivè sententiis ; nullo jure oppugnabunt sententias per nos Illustrissimo Domino Archiepiscopo exhibitas ; nam ex contractu, deberent prius vicissim tradere sententias suas , & postea tantùm replicare adversus nostras.

V.

Minori jure Patres , quamdiu priori contractus parti non satisfecerint , postulabunt responderi quibuscumque suis objectionibus adversus quascumque nostras sententias à nobis nec exhibitas Illustrissimo , nec signatas : minimè verò omnium ad interrogationes circa alia quæ non docemus.

VI.

Quamdiu Patres detrectant exhibere suas sententias , prout ante omnia obligantur per primam partem contractus , nos cum universis Theologis jure videmur eis posse objicere , quod per ipsos ster , quo minus importunæ concertationes circa dogmata Theologica amicè componantur.

VII.

Ex illorum Patrum tergiversatione detrectantium contra primam & fundamentalem totius conventionis partem , tradere suas sententias , nonne sequitur quod ipsi doctrinam suam vel erubescant vel certe aliis invident ?

VIII. Cum

Cum Lovanienses suas sententias scripto expresserint, easque Archiepiscopo primura, deinde Suae Excellentiae, postea Illustrissimo Domino Pronuntio Apostolico, & denique palam Theologis omnibus exhibuerint: cumque ex adverso pars altera nihil illorum hactenus praestet, an temere judicabit, etiam Theologiae imperitus, quod Lovanienstum sententiae, potius quam partis alterius, sint conformes Evangelio, quod erubescere non licet?

CONCLUSIO TERTIA.

Perperam Anti-thesium Author innuit, quod Illustrissimus Dominus Archiepiscopus voluerit se in Collatione habenda, constituere judicem super sententiis controversis. Perperam quoque idem ille, praeteritis sententiis à nobis exhibitis oppugnat alias.

Quae duabus prioribus Conclusionibus in hisce Thesibus tractavimus, potissimum occasionem habent à testimonio R. P. DE P A P E Anti-thesibus inserto; nunc tertiâ hâc Conclusionem examinabimus duo, solum Anti-thesium Authorem concernentia; quorum primum, quod in praefatione indicet Archiepiscopum, si in collatione ulterius processum fuisset, fore judicem: eo namque tendunt illa praefationis verba: *Nefas est appellare à supremo & infallibili iudice ad iudicem inferiorem.* Sed vanus est & fictitius ille timor: siquidem nil istius in contractu conferentiae expressum fuit, nihil omnino à quoquam vel insinuatum; sed contraria omnia: nam proximus contrahentium scopus fuit, ut partes si possibile foret, mutuo sibi satisfacerent; remotior, ut si illud non fuerit obtentum, missis actis ad S. Sedem, ultima illinc decisio expectetur.

Praeterea Illustrissimus Dominus Archiepiscopus in collatione habita 26. Aprilis aperte pronuntiavit se officium iudicis nolle assumere.

Colligat hinc Lector, an Anti-thesium Author non voluerit sibi alio titulo invisam collationem, magis exosam reddere etiam hoc, quod Illustrissimus Dominus Archiepiscopus in ea iudex futurus fingatur.

Notatu quoque dignum quod dictus Anti-thesium Author, nullam ex tot sententiis per nos exhibitis ac signatis, per suas Anti-theses oppugnandam censuerit: sed potius sibi quarendas alias Doctorum HUYGENS & VAN VIANEN, quas oppugnet; etsi illae sententiae nec sint Illustrissimo Domino traditae, nec à nobis signatae.

Quod nullam ex signatis iudicaverit à se oppugnandam, acceptamus, quatenus istud servit ad aliquam illarum sententiarum commendationem.

Quod aliarum sententiarum accusationem attinet, illa responsum non meretur hactenus, donec nimirum Patres prius, quemadmodum inter nos conventum est, exhibuerint suas sententias. Patet ex Corollario quinto anterioris conclusionis.

Adverto insignem Patris istius astutiam; à sermone de collatione sibi parum honorifica me divertere studet; & quo longius, abeundum censet ad alias prorsus sententias à collatione remotiores, etsi per objectiones saepius antehac solutas. Et quamvis etiam decorum non sit cramben toties recoctam iterum iterumque reproducere, in his tamen circumstantiis, amat ista diverticula; sed non amo ego: ad collationem redeo idque per duas subsequentes conclusiones; prius tamen adhuc semel monendum censeo Anti-thesium Authorem: quod frustra impugnet sententias alias, nisi prius replicaverit adversus exhibitas ac signatas: quin addo, quod & hoc frustra, nisi pars altera antè omnia exhibeat Illustrissimo Domino suas sententias.

CONCLUSIO QUARTA.

Ostenditur, quantâ æquitate nitatur contractus hic iterum expressus; modò tamen absit omnis conditio, per quam ejus executio foret impedienda.

Contractum in suas partes dividemus, ut ex singularum partium æquitate magis elucescat justitia totius contractûs, prima hæc est: *Pars utraque scripto tradet Illustrissimo Domino Archiepiscopo illas suas sententias, quas à parte altera novit impugnari.* Incipienda namque erat collatio à materia super qua conferendum erat, adeoque à sententiarum controversarum traditione; hanc vero fieri conveniebat hoc pacto; ut quisque suas, non verò ut alter alterius sententias traderet: siquidem tunc evenisset facilè, ut diutissimè hæsitatum fuisset in ipso collationis limine; dum pars utraque queri potuisset, & fortassis non immeritò, sententias non suas à parte altera, aut non eo quo tenentur moderate fuisse expressas, vel certè circa expressionis modum, utpote rigidum nimis aut plus æquo laxiorem, quidpiam deesse: quæ, & alia plura inconvenientia omninò caventur, dum pars utraque suas sententias exprimit.

Secundum membrum contractûs est: sententiæ à parte unâ tradite per Illustrissimum Dominum alteri parti communicabuntur: eo fine, ut hæc contra replicet: postmodum pars utraque in defensionem suarum sententiarum duplicet; & postea, si opus, procedatur ad quadruplicem, & denique ad collationem verbalem. Summa hic iterum apparet æquitas, dum utrique parti æquale jus conceditur sententias sibi displicentes accusandi non semel sed pluries, & similiter suas adversus accusantem defendendi. Datur præterea utrique parti similis potestas præstandi illa, tum scripto, tum verbo: quò fiat ut pars utraque detegere possit quidquid mali latere credit in sententiis alterius partis, ut ab illis eam abstrahere valeat: item ut possit pro suis proferre omnia, quæ ad earum commendationem faciunt, quò illas parti alteri persuadere possit.

Tertia contractûs pars exprimitur his verbis: *Quibus omnibus peractis, si ad concordiam nondum fuerit ventum, missis actis ad S. Sedem ultima illinc decisio expectanda erit.* Quod nos attinet Apostolica Sedis judicio Articulos nostros perlubenter submittimus, in quibus coram supradicto Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Archiepiscopo convenire non potuerimus. Ipsissima verba sunt, quibus scriptum Articulos nostros complectens conclusimus. Æquitatem hujus tertiæ partis omnes Catholici agnoscimus.

Quartam membrum est: *Virique parti licitum erit interrogare alteram de Articulis non expressis, num eos teneat.* Fieri etenim posset, ut fortassis pars una non exprimeret sententias suas omnes, quas altera existimaret exprimendas, cui incommodo occurritur, dum hæc potestas conceditur, modò tamen (quod ante omnia est faciendum) pars interrogatura tradiderit, prout conventum est, suas sententias Illustrissimo Domino Archiepiscopo. Præstent hoc PP. Societatis, & tum petat Anti-thesium Author: an pro certo habeam, quod singuli reproborum, exempli gratia Antichristus, sit habiturus singularem Angelum custodem. Item an cum Aug. lib. 6. operis imperf. c. 15. sentiam, quod in statu innocentie non opus fuerit orare pro impetranda gratia: petat tum illa, petat & alia quæ voluerit, & promptè respondebo: neque ego solus, sed & alii qui contractui unâ cum Articulis traditis mecum subscripserunt.

Quinta pars est: *Si pars interrogata Articulos petitos à se teneri responderit, ei incumbet eosdem cum aliis scripto traditis tenere ac defendere: si verò responderit illos à se non teneri, nulla ei super istis Articulis moveri poterit questio aut molestia.* Talis est hæc pars, ut meritò dubites an magis ex æquitatis, an verò magis ex pacis amore sit adjecta. Quid enim æquius, quam ut quilibet teneatur sustinere ac defendere sententias, quas à se teneri profiteretur, sive profiteatur sponte sive interrogatione adactus? Et ex adverso, quid magis ad pacem, quam

quam ut neutri parti moveri possit quæstio aut molestia super quibusdam sententiis quas à se jam teneri negat, esto tenuerit olim, aut etiam tenuerint majores ejus: etenim, si aliquibus quæstionem aut difficultatem movere velimus super iis, quæ ipsi aut eorum antecessores olim tenuerint, nunquam erit contentionum finis.

Patet hinc, quantâ æquitate nitatur hic contractus quantumque valeat ad pacem & unitatem inter Theologos conciliandam; modò tamen absit omnis conditio, per quam ejus executio foret impedienda: etenim si Patres Societatis reservaverint sibi potestatem apponendi, quando, quomodo, & quales volunt condiciones post contractum initum, chimæricus & prorsus fictitius est ille contractus ex parte ipsorum: quandoquidem erit in illorum potestate per quæstiones præliminares, & sexcentos alios, quibus lubet, modos sese subducere contractus executioni, etiam postquam eum (uti factum vidimus) pro parte impleverint Lovanienses. Ex quo facile est videre, quod quam æquus est contractus, tam iniqua foret ista potestas adjiciendi ejusmodi condiciones, quodque non minus ad idonea contentiones & divisiones foret illa potestas, quam ad pacem & unitatem valet contractus.

CONCLUSIO QUINTA.

Invitantur RR. Patres & alii à nobis dissidentes, ut contractum illum adimpleant.

C Redimus, post ea quæ Conclusionem primâ dicta sunt, nullum amplius relinqui dubium quin contractus initus sit *absolute, simpliciter, & sine ea*, quam Patres prætendunt, *conditio*. Quid ergò superest, nisi ut eos iterum iterumque rogemus, ut contractum illum, prout tenentur, impleant; adeoque ut, quod jam pridem factum oportebat, jam saltem præstent, exhibendo, quemadmodum nos fecimus, suas sententias Illustrissimo Domino Archiepiscopo.

Petitionis nostræ æquitatem manifestè ostendit Conclusio quarta: inde namque clarum est, talem esse istum contractum, ut etiam si initus non fuisset, iniri equidem deberet à quibusvis Theologis concordiam & pacem sincerè amantibus: nisi fortassis displiceat, quod collatio coram Illustrissimo Domino Archiepiscopo instituenda sit. Sed quomodo displicere jam potest, quod aded placuit dum de collatione hac agere incepimus: placuit inquam tunc R. P. D E P A P E: placuisse & sibi significant PP. Provinciales Minorum & Societatis in Procuratoriis nuper à se datis. Similem collationem se probasse significat R. P. I G N A T I U S D I R T I N S in epistola data Lovanii 31. Januarii 1677. quo tempore ipse erat Provincialis PP. Societatis J E S U. Verba epistolæ sunt: *gaudeo Illustrissimam suam gratiam persistere in cogitatione convocandi utramque partem dissidentium: cum omni respectu admitto, quod ad nos attinet, oblatum congressum.*

Et sanè quis ad hæc in Belgio magis idoneus, quam totius Belgii Primas, qui etsi judicis partes in hac causa assumere non velit, valet tamen, si Ecclesiasticorum ullus in toto Belgio, ut ea, qua pollet, potestate & autoritate collationem promoveat: & tamen hæret aqua; nullum quidem obicem objiciente Illustrissimo Domino Archiepiscopo, nam ardentè desiderare pergit, prout jam pridem desideravit, ut collatio habeat progressum. Quod etiam Lovanienses obstaculum non ponant, nimis manifestum est, vel ex hæc solâ Conclusionem, quâ iteratò rogamus RR. Patres, ut collationem inchoatam perficere ultra non detrectent, cum illa sit opportunissimum, ne dicam unicum medium, ad desideratam toties pacem & unitatem inter Theologos obtinendam.

CON.

CONCLUSIO SEXTA.

Patres Societatis non possunt se excusare, quo minus toti Theologorum orbi notas faciant suas sententias.

SI contra conventionem initam Patres Societatis detrectent: vel jam suas sententias exhibere Illustrissimo Domino Archiepiscopo, enixè rogamus, ut eas saltem Theologorum orbi manifestare non vereantur. Nos utrumque fecimus, faciant illi posterius saltem: interest enim boni communis, ut sententias suas compendiosè & clarè publicent illi, qui toto orbe Catholico Theologiam profitentur & animarum directionem.

Justissimum etiam est, ut qui tam liberè culpant doctrinam nostram, suam quoque exhibeant; quò scire liceat, non solùm quid hic illeve disputando propugnet; verum etiam quid ipsi communiter & quid absolutè teneant: quas inquam veluti suas sententias haberi velint ab universis Theologis, ac potissimùm à Sede Apostolica, cui sententias ipsorum apertè & compendiosè expressas ac subjectas esse jure, ut videtur, postulamus; sicuti nostras apertè & compendiosè expressimus, ac subjecimus prout iterum subjecimus.

Agitur utrumque non de re levioris sed maximi momenti: nimirum de bonorum operum principio, de morum regulâ, de humanarum actionum scopo sive fine, & infinitis conclusionibus practicis inde confectariis; adeoque de doctrina, quam sive propter rei tractatæ dignitatem ac utilitatem; sive propter doctrinæ ipsius extensionem ac necessitatem palam profitendam censemus.

P E R T I N E N S.

UBI RR. PP. juxta primam partem contractus tradiderint suas sententias Illustrissimo Domino, liberrimum illis erit agere de illis quæ voluerunt esse preliminaris; nimirum contra sententias nostras, prout ipsis placuerit, replicando iuxta secundam partem contractus, vel nos interrogando juxta partem quartam. Ad quid ergò volunt illa pramitti ut preliminaris; nisi ut numquam tradant suas sententias?

A L I U D.


Lovanensium sententiis sex tantum subscripserunt, nimirum illi, qui à parte alterâ præceteris impetuntur; si præter hos culpentur alii, rogo ut nominentur. quò possit etiam illorum subscriptio à nobis peti; prius tamen Patres Illustrissimo exhibeant suas sententias; etsi à paucioribus quam sex signatas.

I I I.

Sententias nostras Illustrissimo Domino Archiepiscopo exhibitas, parati sumus in hac disputatione rursus defendere, adeoque veluti hic iterum expressas habemus.

F I N I S.





Theles
Doctorū
Academia
Lovan.

Th

2170